

tem consequitur speciem; & naturam secundum quod est in potentia, sed secundum quod est actu. Cum igitur preparatio nihil sit aliud quam ordo potentiae ad actum, impossibile est quod intellectus possibilis non sit aliud quam preparatio quaedam in natura humana existens.

CAPUT LXIII.

Quod anima non sit complexio, ut posuit Galenus.

Prædictæ autem opinioni Alexandri de intellectu possibili, propinqua est Galeni Medici de anima: dicit enim animam esse complexionem. Ad hoc autem dicendum motus est per hoc quod videmus ex diversis complexionibus causari in nobis diversas passionem, quæ attribuntur animæ: aliquam enim complexionem habentes, ut cholericam, de facili irascuntur, melancholici vero de facili tristantur. Unde & per easdem rationes hæc opinio improbari potest per quas improbatæ est opinio Alexandri, & per aliquas proprias.

1. Ostensum est enim supra, quod operatio animæ vegetabilis, & cognitio sensitiva excedit virtutem qualitarum activarum, & passivarum, & multo magis operatio intellectus. Complexio autem causatur ex qualitatibus activis, & passivis. Non potest igitur complexio esse principium operationum animæ: unde impossibile est quod aliqua anima sit complexio.

2. Adhuc. Complexio, cum sit quoddam constitutum ex contrariis qualitatibus, quasi medium inter eas, impossibile est quod sit forma substantialis: nam substantiæ nihil est contrarium, nec suscipit magis & minus. Anima autem est forma substantialis, & non accidentalis: alias per animam non sortiretur aliquid genus, vel speciem. Anima igitur non est complexio.

3. Adhuc. Complexio non movet corpus animalis motu locali: sequeretur enim motum dominantis, & sic semper deorsum ferretur. Anima autem movet animal in omnem partem. Non est igitur anima complexio.

4. Amplius. Anima regit corpus, & repugnat passionibus quæ complexione sequuntur: ex complexione enim aliqui sunt magis alii ad concupiscentias, vel iras apti; qui tamen magis ab eis abstinere, propter aliquid refrænans, ut patet in continentibus. Hoc autem non facit complexio. Non est igitur anima complexio.

Deceptus autem fuisse videtur Galenus ex hoc quod non consideravit, aliter passionem attribui complexionem, & aliter animæ. Complexioni namque attribuntur sicut disponenti, & quantum ad id quod est materiale in passionibus, sicut fervor sanguinis, & huiusmodi; animæ autem tamquam principali causæ ex parte ejus quod est in passionibus formale, sicut in ira appetitus vindictæ.

CAPUT LXIV.

Quod anima non sit harmonia.

Similis autem prædictæ positioni est positio dicentium, animam esse harmoniam. Non enim intellexerunt animam esse harmoniam sonorum, sed contrariorum, ex quibus videbant componi corpora animata: quæ quidem opinio in Lib. de Anima I. text. comm. LV. videtur attribui Empedocli. Gregorius autem Nyssenus Lib. II. de Phil. cap. III. attribuit

eam Dinarcho: unde & improbatur sicut & præcedens, & adhuc propriis rationibus.

1. Omne enim corpus mixtum harmoniam habet, & complexionem; nec harmonia potest movere corpus, aut regere ipsum, vel repugnare passionibus, sicut & complexio; intenditur etiam, & remittitur, sicut & complexio: ex quibus omnibus ostenditur quod anima non sit harmonia, sicut nec complexio.

2. Adhuc. Ratio harmoniæ magis convenit qualitatibus corporis quam animæ: nam sanitas est quædam harmonia humorum, fortitudo nervorum, & ossium, pulchritudo membrorum, & colorum. Non autem potest assignari qualium harmonia sit sensus, aut intellectus, & cætera quæ ad animam pertinent. Non est igitur anima harmonia.

CAPUT LXV.

Quod anima non sit corpus.

Fuerunt autem & alii magis errantes, ponentes animam esse corpus: quorum opiniones licet fuerint diversæ & variæ, sufficit eas hic communiter reprobare.

1. Viventia enim, cum sint quædam res naturales, sunt composita ex materia & forma. Componuntur autem ex corpore & anima, quæ facit viventia actu. Igitur oportet alterum istorum esse formam, & alterum materiam. Corpus autem non potest esse forma, quia corpus non est in altero sicut in materia, & subjecto. Anima igitur erit forma: ergo non est corpus, cum nullum corpus sit forma.

2. Adhuc. Impossibile est duo corpora esse simul. Anima autem non est seorsum à corpore, dum vivit. Non est igitur anima corpus.

3. Amplius. Omne corpus divisibile est. Omne autem divisibile indiget aliquo continente, & unione partes ejus. Si igitur anima sit corpus, habebit aliquid aliud continens, & illud magis erit anima: videmus enim, anima recedente, corpus dissolvi. Et si hoc iterum sit divisibile, oportebit vel devenire ad aliquod indivisibile, & incorporeum, quod erit anima, vel erit in infinitum procedere, quod est impossibile. Non est igitur anima corpus.

4. Item. Sicut supra cap. XLIX. probatum est, & in VIII. Phys. text. com. XL. & infra probatur, omne movens se ipsum componitur ex duobus, quorum alterum est movens, & non motum; & alterum est motum. Sed animal est movens se ipsum; movens autem in ipso est anima, motum autem corpus. Anima igitur est movens non motum. Nullum autem corpus movet nisi motum, ut supra Lib. I. cap. XLII. probatum est. Anima igitur non est corpus.

5. Præterea. Supra cap. LXII. ostensum est quod intelligere non potest esse actio alicujus corporis. Est autem actus animæ. Anima igitur, ad minus intellectiva, non est corpus.

Ea

1. Ea autem quibus aliqui conati sunt probare animam esse corpus, facile est solvere.

Ostendunt enim animam esse corpus, per hoc quod filius assimilatur patri etiam in accidentibus animæ, cum tamen filius generetur à patre per decisionem corporalem; & quia anima compatitur corpori, & quia separatur à corpore; separari autem est corporum se tangentium.

Sed contra hoc; jam dictum est cap. LXI. in calce quod complexio corporis est aliquid causa animæ passionum per modum disponentis; anima etiam non compatitur corpori nisi per accidens, quia cum sit forma corporis, movetur per accidens motu corpore; separatur etiam anima à corpore, non sicut tangens à tacto, sed sicut forma à materia; quamvis & aliquis tactus sit incorporei ad corpus, ut supra cap. LXI. ostensum est. Movet etiam ad hanc positionem multos, quia erederunt, quod non est corpus, non esse, imaginationem transcendere non valentes, quæ solum circa corpora versatur. Unde hæc opinio Sap. II. 2. ex persona insipientium proponitur; dicentium de anima: (1) *Fumus, & status est in naribus nostris; & sermo scintilla ad movendum cor nostrum.*

CAPUT LXVI.

Contra ponentes intellectum, & sensum esse idem.

HIS autem propinquam fuit quod quidam antiquorum Philosophorum Emped. teste Aristotele II. de anima text. cl. & seq. intellectum à sensu differre non opinabantur: quod quidem impossibile est.

1. Sensus enim in omnibus animalibus invenitur. Alia autem animalia ab homine intellectum non habent: quod ex hoc apparet, quia non operantur diversa, & opposita, quasi intellectum habentia, sed sicut à natura mota ad determinatas quasdam operationes, & uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

2. Adhuc. Sensus non est cognoscitivus nisi singularium: cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus. Intellectus autem est cognoscitivus universalium, ut per experimentum patet. Differ igitur intellectus à sensu.

3. Amplius. Cognitio sensus non se extendit nisi ad corporalia: quod ex hoc patet quod qualitates sensibiles, quæ sunt propria objecta sensuum, non sunt nisi in corporalibus; sine eis autem sensus nihil cognoscit. Intellectus autem cognoscit incorporea, sicut sapientiam, veritatem, & relationes rerum. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

4. Item. Nullus sensus se ipsum cognoscit, nec suam operationem: visus enim non videt se ipsum, nec videt se videre; sed hoc superioris potentie est, ut probatur in II. de Anima text. com. cxxxvi. & infra. Intellectus autem cognoscit se ipsum, & cognoscit se intelligere. Non est igitur idem intellectus, & sensus.

5. Præterea. Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili; intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili excellentia, quinimo qui intelligit majora, potest melius postmodum minor intelligere. Est igitur alia virtus sensitiva, & intellectiva.

(1) *Vulgata: Fumus status est in naribus nostris; & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum.*

CAPUT LXVII.

Contra potentes intellectum possibilem esse imaginationem.

Hic autem opinioni affine fuit quod quidam posuerunt Abubacher, & Avempace teste Averro III. de Anima comm. v. intellectum possibilem non esse aliud quam imaginationem: quod quidem patet esse falsum.

1. Imaginatio enim est etiam in aliis animalibus: cujus signum est quod abentibus sensibilibus fugiunt, vel persequuntur ea: quod non esset, nisi in eis imaginaria apprehensio sensibilibus remaneret. Intellectus autem in eis non est, cum nullum opus intellectus in eis appareat. Non est igitur idem intellectus, & imaginatio.

2. Adhuc. Imaginatio non est nisi corporaliū, & singularium, cum phantasia sit motus factus à sensu secundum actum, ut dicitur in II. de Anima text. com. clxi. Intellectus autem universalium, & incorporeum est. Non est igitur intellectus possibilis imaginatio.

3. Amplius. Impossibile est idem esse movens, & motum. Sed phantasmata movent intellectum possibilem, sicut sensibilia sensum, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xxx. Impossibile est igitur quod sit idem intellectus possibilis, & imaginatio.

4. Præterea. Probatum est in III. de Anima text. com. vi. quod intellectus non est actus alicujus partis corporis. Imaginatio autem habet organum corporale determinatum. Non est igitur idem imaginatio, & intellectus possibilis.

Hinc est quod dicitur Job xxxv. 11. *Qui docet nos super fumenta terra, & super volucres cæli erudit nos: per quod datur intelligi quod hominis est aliqua virtus cognoscitiva supra sensum, & imaginationem, quæ sunt in aliis animalibus.*

CAPUT LXVIII.

Qualiter substantia intellectualis possit esse corpus, ut forma.

EX præmissis igitur rationibus concludere possumus quod intellectualis substantia potest corpori uniri ut forma.

1. Si enim substantia intellectualis non unitur corpori solum ut motor, ut Plato posuit; neque continuatur ei solum per phantasmata, ut dixit Averroes, sed ut forma; neque tamen intellectus, quo homo intelligit, est preparatio in humana natura, ut dixit Alexander; neque complexio, ut Galenus; neque harmonia, ut Empedocles; neque corpus, vel sensus, vel imaginatio, ut antiqui dixerunt: relinquitur quod anima humana sit intellectualis substantia corpori unita ut forma: quod quidem sic potest fieri manifestum.

2. Ad hoc enim quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur: quorum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei cujus est forma: principium autem dico, non effectivum, sed formale, quo aliquid est, & denominatur ens; unde sequitur aliud, scilicet quod forma, & materia con-

conveniant in uno esse; quod non contingit de principio effectivo cum eo cui dat esse: & hoc esse est in quo subsistit substantia composita, quæ est una secundum esse ex materia & forma constans. Non autem impeditur substantia intellectualis per hoc quod est subsistens, ut probatum est cap. LVI. esse formale principium essendi materiæ, quasi esse suum communicans materiæ: non est enim inconueniens quod idem sit esse in quo subsistit compositum, & forma ipsa, cum compositum non sit nisi per formam, nec seorsum utrumque subsistat.

Potest autem obijci, quod substantia intellectualis esse suum materiæ corporali communicare non possit, ut sit unum esse substantiæ intellectualis, & materiæ corporalis: diversorum enim generum est diversus modus essendi, & nobilioris substantiæ nobilior esse.

Hoc autem convenienter diceretur, si eodem modo illud esse materiæ esset, sicut esse substantiæ intellectualis; non est autem ita: est enim materiæ corporalis, ut recipientis, & subjecti ad aliquid altius elevati; substantiæ autem intellectualis ut principii, & secundum propriam naturam congruentiam. Nihil igitur prohibet substantiam intellectualem esse formam corporis humani, quæ est anima humana.

Hoc autem modo mirabilis rerum connexio considerari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis; sicut quædam infima in genere animalium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea, quæ sunt immobilia, & solum tactum habent, & terræ in modum plantarum affiguntur: unde & beatus Dionysius dicit in VII. capit. de div. Nomin. quod divina sapientia conjungit fines superiorum principii inferiorum. Est igitur accipere aliquid in genere corporum, scilicet corpus humanum æqualiter complexionatum, quod attingit ad infimum superioris generis, scilicet ad animam humanam, quæ tenet ultimum gradum in genere intellectualium substantiarum, ut ex modo intelligendi percipi potest. Et inde est quod anima intellectualis dicitur esse quasi quidam orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma. Non autem minus est aliquid unum ex substantia intellectuali & materia corporali, quam ex forma ignis & ejus materia; sed forte magis: quia quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea, & materia magis efficitur unum.

Quamvis autem sit unum esse formæ, & materiæ, non tamen oportet quod materia semper adæquet esse formæ; immo quanto forma est nobilior, tanto in suo esse semper excedit materiam: quod patet inspicienti operationes formarum, ex quarum consideratione earum naturas cognoscimus. Unumquodque enim operatur secundum quod est: unde forma, cujus operatio excedit conditionem materiæ, & ipsa secundum dignitatem sui esse superexcedit materiam: invenimus enim aliquas infimas formas quæ in nullam operationem possunt nisi ad quam se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materiæ, ut calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum, densum, grave, & leve, & his similia, sicut formæ elementorum: unde istæ sunt formæ omnino materiales, & totaliter immersæ materiæ. Super has invenitur formæ mixtorum corporum, quæ licet non se extendant ad aliqua operata, quæ non possunt compleri per qualitates prædictas; interdum tamen operantur illos effectus altiori virtute corporali, quam tamen sortiuntur ex corporibus cælestibus, quæ consequitur eorum speciem, sicut adamus trahit

ferrum. Super has iterum invenitur aliqua formæ, quarum operationes extenduntur ad aliqua operata quæ excedunt virtutem qualitarum prædictarum; quamvis qualitates prædictæ organice ad harum operationes deserviant; sicut sunt animæ plantarum, quæ etiam assimilantur non solum virtutibus corporum cælestium in excedendo qualitates activas, & passivas, sed etiam ipsis motoribus corporum cælestium, in quantum sunt principia motus rebus viventibus, quæ movent se ipsas. Super has formas invenitur alia formæ similes superioribus substantiis, non solum in movendo, sed etiam aequaliter in cognoscendo; & sic sunt potentes in operationes ad quas nec organice qualitates prædictæ deserviant; cum operationes hujusmodi non compleantur nisi mediante organo corporali, sicut sunt animæ brutorum animalium: sentire enim, & imaginari non completur calefaciendo, & infrigidando, licet hæc sint necessaria ad debitam organi dispositionem. Super omnes autem has formas invenitur forma similis superioribus substantiis etiam quantum ad genus cognitionis, quod est intelligere, & sic est potens in operationem quæ completur absque organo corporali omnino; & hæc est anima intellectiva: nam intelligere non fit per organum corporale; unde oportet quod id principium quo homo intelligit, quod est anima intellectiva, & excedit materiæ conditionem corporalis, non sit totaliter comprehensum à materia, aut ei immersum, sicut alia formæ materiales: quod ejus operatio intellectualis ostendit, in qua non communicat materia corporalis. Quia tamen ipsum intelligere animæ humanæ indiget potentiis quæ per quædam organa corporalia operantur, scilicet imaginatione, & sensu; ex hoc ipso declaratur quod naturaliter unitur corpori ad complendam speciem humanam.

## CAPUT LXIX.

*Solutio rationum quibus supra probatur, quod substantia intellectualis non potest corpori uniri ut forma.*

**HIS** autem consideratis, non est difficile solvere quæ contra prædictam unionem supra posita sunt. In prima enim ratione falsum supponitur: non enim corpus, & anima sunt duæ substantiæ actu existentes, sed ex eis duobus fit una substantia actu existens: corpus enim hominis non est idem actu, præsentem animam, & absente; sed anima facit ipsum actu esse.

Quod autem secundo obijcitur, formam, & materiam in eodem genere contineri, non sic verum est quasi utrumque sit species unius generis, sed quia sunt principia ejusdem speciei. Sic igitur substantia intellectualis, & corpus, quæ seorsum existentia, essent diversorum generum species, prout uniuntur, sunt unius generis, ut principia.

Non autem oportet substantiam intellectualem esse formam materialem, quamvis esse ejus sit in materia, ut tertia ratio procedebat: non enim est in materia sicut materiæ immersa, vel à materia totaliter comprehensa, sed alio modo, ut dictum est.

Nec tamen per hoc quod substantia intellectualis unitur corpori ut forma, remouetur quod à Philosophis dicitur (III. de Anima text. comm. ix.) intellectum esse à corpore separatum; & est quarta ratio. Est enim in anima considerare & ipsius essentiam, & potentiam ejus. Secundum essentiam quidem suam dat esse tali corpori, secundum potentiam vero operationes proprias efficit. Si igitur operatio animæ per

## CAPUT LXX.

*Quod secundum dicta Aristotelis oportet ponere intellectum uniri corpori ut formam.*

*I. Part. quest. LXXVI. art. 1.*

**ET** quia Averroes maxime nititur suam opinionem confirmare per verba, & demonstrationem Aristotelis, ostendendum restat quod necessarium est dicere, secundum opinionem Aristotelis, intellectum secundum suam substantiam alicui corpori uniri ut formam. Probat enim Aristoteles in Lib. VII. & VIII. Physicorum text. comm. III. & infra, & text. comm. XXXIII. & infra, quod in motoribus, & motis impossibile est procedere in infinitum: unde concludit, quod necesse est devenire ad aliquod primum motum quod vel moveatur ab immobili, vel moveat se ipsum; & de his duobus accipit secundum, scilicet quod primum mobile moveat se ipsum, ea ratione quia quod est per se, semper est prius eo quod est per aliud.

Deinde ostendit VIII. Physic. text. comm. XL. quod movens se ipsum de necessitate dividitur in duas partes; quarum una est movens, & alia est mota. Oportet igitur primum se ipsum movens componi ex duabus partibus, quarum una est movens. Omne autem hujusmodi est animatum, secundum opinionem Aristotelis: unde & in II. de celo text. comm. XII. dicitur expresse, quod cælum est animatum; & propter hoc oportet in eo ponere differentias positionis, non solum quoad nos, sed etiam secundum se. Inquiramus igitur, secundum opinionem Aristotelis, quæ anima sit cælum animatum. Probat etiam in XII. Metaphysic. text. comm. XXXV. & XXXVI. quod in motu cæli est considerare aliquid quod movet omnino immotum, & aliquid quod movet motum. Id autem quod movet omnino immotum, movet sicut desiderabile; nec dubium quin ab eo quod movetur. Ostendit autem quod non sicut desiderabile desiderio concupiscentiæ, quod est desiderium sensus, sed sicut desiderabile intellectualem desiderio: unde dicit, quod primum movens non motum, est desiderabile, & intellectualem. Igitur id quod ab eo movetur, scilicet cælum, est desiderans, & intelligens nobiliori modo quam nos, ut subsequenter probat. Est igitur cælum compositum (secundum opinionem Aristotelis) ex anima intellectuali & corpore; & hoc signat in II. de Anima text. comm. XXXI. ubi dicit, quod quibusdam inest intellectum, & intellectus, ut hominibus, & si aliquid hujusmodi est activum, aut honorabile, scilicet cælum. Constat autem quod cælum non habet animam sensitivam, secundum opinionem Aristotelis (in II. Lib. de celo & mundo) haberet enim diversa organa, quæ non competunt simplicitati cæli: & ad hoc signandum subjungit Aristoteles (II. de Anima text. comm. XXXI.) quod quibus de numero corruptibilem inest intellectus, insunt omnes alia potentia; ut daret intelligere quod aliqua incorruptibilia habent intellectum, quæ non habent alias potentias animæ, scilicet corpora cælestia. Non poterit igitur dici, quod intellectus continetur corporibus cælestibus per phantasmata; sed oportebit dicere, quod intellectus secundum suam substantiam unitur corpori cælesti ut forma. Sic igitur & corpori humano (quod est inter omnia corpora inferiora nobilissimum, & æqualitate suæ complexionis cælo ab omni contrarietate absoluto simillimum) secundum

intentionem Aristotelis, substantia intellectualis unitur, non per aliqua phantasmata, sed ut forma ipius.

Hoc autem quod dictum est de animatione cœli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet sive sic, sive aliter dicatur: unde Augustinus in Enchiridion cap. LVIII. *Nec illud quidem certum habeo, utrum ad eandem societatem, scilicet Angelorum, pertineant Sol, & Luna, & cuncta sydera; quamvis nonnullis lucida esse corpora, (1) non tamen sensu, vel intelligentia videantur.*

## CAPUT LXXI.

*Quod anima immediate unitur corpori.*

**E**X præmissis autem concludi potest quod anima immediate corpori unitur: nec oportet ponere aliquod medium quasi animam corpori uniens, vel phantasmata, sicut dicit Averroes; vel potentias ipsius, sicut quidam dicunt; vel etiam spiritum corporalem, sicut alii dixerunt. Ostensum est enim quod anima unitur corpori ut forma ejus: forma autem unitur materiæ absque omni medio: per se enim competit formæ quod sit actus corporis, & non per aliquid aliud: unde nec est aliquid unum faciens ex materia & forma, nisi agens, quod potentiam reducit ad actum, ut probat Aristoteles in VIII. Metaphysic. text. comm. ult. nam materia, & forma habent se ut potentia, & actus.

Potest tamen dici, aliquid esse medium inter animam & corpus, etsi non in essendo, tamen in movendo, & in via generationis. In movendo quidem, quia in motu quo anima movet corpus, est quidam ordo mobilium, & motorum: anima enim omnes operationes suas efficit per suas potentias, unde median- te potentia, movet corpus, & adhuc membra median- te spiritu, & ulterius unum organum mediante alio organo. In via autem generationis dispositiones ad formam præcedunt formam in materia, quamvis sint posteriores in essendo: unde & dispositiones corporis, quibus sit proprium perceptibile talis formæ, hoc modo possunt dici mediæ inter animam & corpus.

## CAPUT LXXII.

*Quod anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte.*

*I. Part. quest. LXXVI. art. 8.*

**P**ER eadem autem ostendi potest, animam totam in toto corpore esse, & totam in singulis partibus. Oportet enim proprium actum in proprio perceptibili esse. Anima autem est actus corporis organi- ci, non unius organi tantum. Est igitur in toto corpore, & non in una parte tantum secundum suam essentiam, secundum quam est forma corporis. Sic autem anima est forma totius corporis, quod est etiam forma singularum partium: si enim esset forma totius, & non partium, non esset forma substantialis talis corporis; sicut forma domus quæ est forma totius, & non singularum partium est forma accidental- is.

Quod autem anima est forma substantialis totius, & partium, patet per hoc quod ab ea sortitur speciem & totum, & partes: unde ea abscedente, neque totum, neque partes remanent ejusdem speciei, nam oculus mortui, & caro ejus non dicuntur nisi

(1) Augustini textus non cum sensu.

æquivoce. Si igitur anima est actus singularum partium, actus autem est in eo cuius est actus; relinquitur quod sit secundum suam essentiam in qualibet parte corporis. Quod autem tota manifestum est: quum enim totum dicatur per relationem ad partes, oportet totum diversimode accipi, sicut diversimode accipiuntur partes. Dicitur autem pars dupliciter: uno quidem modo inquantum dividitur aliquid secundum quantitatem, sicut bicubitum est pars tricubiti; alio modo inquantum dividitur aliquid secundum divisionem essentia, sicut forma, & materia dicuntur partes compositi. Dicitur ergo totum & secundum quantitatem, & secundum essentia perfectionem. Totum autem, & partes secundum quantitatem dicta, formis non conveniunt nisi per accidens, scilicet inquantum dividuntur divisione subjecti quantitatem habentis; totum autem, vel pars secundum perfectionem essentia invenitur in formis per se. De hac igitur totalitate loquendo, quæ per se formæ competit, in qualibet forma apparet quod est tota in toto, & tota in qualibet parte ejus: nam albedo, sicut secundum totam rationem albedinis est in toto corpore, ita & in parte qualibet ejus. Secus autem est de totalitate quæ per accidens attribuitur formis: sic enim non possumus dicere, quod tota albedo sit in qualibet parte. Si igitur est aliqua forma quæ non dividatur divisione subjecti, sicut sunt animæ animalium perfectorum, non erit opus distinctione, quum eis non competat nisi una totalitas; sed absolute dicendum est, eam totam esse in qualibet corporis parte; nec est hoc difficile apprehendere ei qui intelligit animam non sic esse indivisibilem ut punctum, neque sicut incorporeum corporeo conjungi, sicut corpora ad invicem conjunguntur, ut supra (cap. LVI. expositum est. Non est autem inconveniens animam, quum sit quædam forma simplex, & esse actum partium tam diversarum, quia unicuique formæ aptatur materia secundum suam congruentiam. Quanto autem aliqua forma est nobilior, & simplicior, tanto est majoris virtutis: unde anima, quæ est nobilissima inter formas inferiores, etsi simplex sit in substantia, est tamen multiplex in potentia, & multarum operationum, unde indiget diversis organis ad suas operationes complendas, quorum diversæ animæ potentia proprii actus esse dicuntur, sicut visus oculi, auditus aurium, & sic de aliis propter quod animalia perfecta habent maximam diversitatem in organis, plantæ vero minimam.

Hac igitur occasione à quibusdam Philosophis dicitur est, animam esse in aliqua parte corporis, sicut ab ipso Aristotele in Lib. de causa motus animalium cap. VI. dicitur esse in corde, quia aliqua potentia ejus illi parti corporis attribuitur: vis enim motiva, de qua Aristoteles in Libro illo agebat, est principaliter in corde, per quod anima in totum corpus motum, & alias hujusmodi operationes diffundit.

## CAPUT LXXIII.

*Quod intellectus possibilis non est unus in omnibus hominibus.*

*I. Part. quest. LXXVI. art. 2.*

**E**X præmissis autem evidenter ostenditur, non esse unum intellectum possibilem omnium hominum qui sunt, & qui erunt, & qui fuerunt, ut Averroes in III. de Anima text. com. v. fingit.

Os-

1. Ostensum est autem quod substantia intellectus unitur corpori humano ut forma. Impossibile est autem unam formam esse nisi unius materia, quia proprius actus in propria potentia fit, sunt enim ad invicem proportionata. Non est igitur intellectus unus omnium hominum.

2. Adhuc. Unicuique motori debentur propria instrumenta: alia enim sunt instrumenta tibicinis, alia architectonis. Intellectus autem comparatur ad corpus ut motor ipsius, sicut Aristoteles declarat, & determinat in III. de Anima text. com. XLVII. Sicut igitur impossibile est quod architecton utatur instrumentis tibicinis, ita impossibile est quod intellectus unius hominis sit intellectus alterius hominis.

3. Præterea. Aristoteles in I. de Anima text. com. LVII. reprehendit antiquos de hoc quod disserentes de anima, nihil de proprio susceptibili dicebant, quasi esset contingens (secundum Pythagoricas fabulas) quamlibet animam quodlibet corpus inducere. Non est igitur possibile quod anima canis ingrediatur corpus lupi, vel anima hominis aliud corpus quam hominis. Sed quæ est proportio animæ hominis ad corpus hominis, eadem est proportio animæ hujus hominis ad corpus hujus hominis. Non est igitur possibile animam hujus hominis ingredi aliud corpus quam istius hominis. Sed anima hujus hominis est per quam hic homo intelligit: homo enim per animam intelligit, secundum sententiam Aristotelis in I. de Anima text. com. LXV. Non est igitur unus intellectus istius, & illius hominis.

4. Amplius. Ab eodem aliquid haberi esse, & unitatem: unum enim, & ens se consequuntur. Sed unumquodque habet esse per suam formam. Ergo & unitas rei sequitur unitatem formæ. Impossibile est igitur diversorum individuum hominum esse formam unam. Forma autem hujus hominis est anima intellectiva. Impossibile est igitur omnium hominum esse unum intellectum.

Si autem dicatur, quod anima sensitiva hujus hominis sit alia ab anima sensitiva illius, & pro tanto non sit unus homo, licet sit unus intellectus; hoc stare non potest. Propria enim operatio cujuslibet rei consequitur, & demonstrat speciem ipsius. Sicut autem animalis propria operatio est sentire, ita hominis propria operatio est intelligere, ut Aristoteles dicit in I. Ethic. cap. IX. unde oportet quod sicut homo individuum est animal propter sensum, secundum Aristotelem in II. de Anima text. com. XVII. ita sit homo propter id quo intelligit. Id autem quo intelligit anima, vel homo per animam, est intellectus possibilis, ut dicitur in III. de Anima text. com. V. Est igitur hoc individuum homo per intellectum possibilem. Si igitur hic homo habet aliam animam sensitivam cum alio homine, non autem alium intellectum possibilem, sed unum & eundem, sequitur, quod sint duo animalia, sed non duo homines: quod patet impossibile esse. Non igitur est unus intellectus possibilis omnium hominum.

His autem rationibus respondet Commentator prædictus in III. de Anima (text. com. V. dicens, quod intellectus possibilis continuatur nobiscum per formam suam, scilicet per speciem intelligibilem, cujus unum subjectum est phantasma in nobis existens, quod est in diversis diversum; & sic intellectus possibilis numeratur in diversis, non ratione suæ substantia, sed ratione suæ formæ.

Quod autem hæc responsio nulla sit, apparet per ea quæ supra cap. LXIX. dicta sunt. Ostensum est enim supra, quod non est possibile hominem intel-

ligere, si sic solum intellectus possibilis continuaretur nobiscum. Dato autem quod prædicta continuatio sufficeret ad hoc quod homo esset intelligens, adhuc responsio dicta rationes supradictas non solvit. Secundum enim dictam positionem nihil ad intellectum pertinens remanebit numeratum secundum multitudinem hominum, nisi solum phantasma; hoc ipsum phantasma non erit numeratum, secundum quod intellectum est in actu, quia sic est in intellectu possibili, & est abstractum à materialibus conditionibus per intellectum agentem. Phantasma autem, secundum quod est intellectum in potentia, non excedit gradum animæ sensitivæ.

2. Adhuc. Non remanebit alius hic homo ab illo nisi per animam sensitivam; & sequitur prædictum in conveniens, quod non sint plures homines hic, & ille.

3. Præterea. Nihil sortitur speciem per id quod est in potentia, sed per id quod est actu. Phantasma autem, secundum quod est numeratum, est tantum in potentia ad esse intelligibile. Ergo per phantasma, secundum quod numeratur, non sortitur hoc individuum speciem animalis intellectivi, quod est ratio hominis; & sic remanebit, illud quod speciem humanam dat, non esse numeratum in diversis.

4. Adhuc. Illud per quod speciem sortitur unumquodque vivens, est perfectio prima, & non perfectio secunda, ut patet per Aristotelem in II. de Anima text. com. V. & VI. Phantasma autem non est perfectio prima, sed perfectio secunda: est enim hinc motus factus à sensu secundum actum, ut dicitur in II. de Anima (text. com. CLXXI). Non igitur est ipsum phantasma quod numeratur, à quo homo speciem habet.

5. Amplius. Phantasmata, quæ sunt intellecta in potentia, diversa sunt. Illud autem quo aliquid speciem sortitur, oportet esse unum, nam species una est unius. Non igitur per phantasmata, prout ponuntur numerari in diversis ut sunt intellecta in potentia, homo speciem sortitur.

6. Item. Illud à quo homo sortitur speciem, oportet semper esse manens in eodem individuo dum durat: alias individuum non semper esset unius & ejusdem speciei, sed quandoque hujus, quandoque illius. Phantasmata autem non semper eadem manent in uno homine, sed quædam de novo adveniunt, & quædam præexistentia abolentur. Individuum igitur hominis neque per phantasma sortitur speciem, neque per ipsum continuatur principio suæ speciei, quod est intellectus possibilis.

Si autem dicatur, quod hic homo non sortitur speciem ab ipsis phantasmatis, sed à virtutibus, in quibus sunt phantasmata, scilicet imaginativa, memorativa, & cognitiva, quæ est propria homini, quam Aristoteles in III. de Anima text. com. XX. passivum intellectum vocat: ad huc sequuntur eadem inconvenientia.

1. Quia cum virtus cogitativa habeat operationem solum circa particularia, quorum intentiones dividit, & componit & habeat organum corporale, per quod agit, non transcendit genus animæ sensitivæ. Homo autem ex anima sensitiva non habet quod sit homo, sed quod sit animal. Adhuc igitur relinquitur quod numeretur in nobis solum id quod competit homini inquantum est animal.

2. Præterea. Virtus cogitativa, cum operetur per organum, non est id quo intelligimus, cum intelligere non sit operatio alicujus organi. Id autem quo intelligimus, est id quo homo est homo, cum intelligere sit propria operatio hominis, consequens ejus spe-

P

ciem